

NOTIZIARIO DELLA CONFERENZA EPISCOPALE ITALIANA
a cura della Segreteria Generale


NUMERO 11

15 dicembre 1989

Auguri natalizi del Santo Padre

Si riproduce, per documentazione, l'Autografo con cui il Santo Padre, Giovanni Paolo II, ha fatto pervenire ai Vescovi, tramite il Presidente della Conferenza Episcopale, l'augurio per le Festività natalizie 1989.

Il Cardinale Presidente, Ugo Poletti, a nome di tutti i Vescovi italiani, ha espresso al Papa i sentimenti di profonda e filiale gratitudine.



Venerabilis Frater,

Quantum superiore hoc tempore complurium civitatum eventa atque ipsius historiae velut necopinata conversio mentes cogitationesque omnium nostrum congruenter quidem admiratione quadam occupaverunt laetationeque, tantopere nunc appropinquant ipsius Incarnationis Verbi mysterium pastores nos hominum nativa vi sua revocare oportet ad religionis illuminatae firmitudinem, ad interiorem illum Iesu Christi nuntium, ad christianorum affectuum maturitatem unde, nisi singula opera aliquando exteriora nostra proficiscantur, veri haud possimus nos Redemptoris Nazareni imitatores nec praedicatores existimari.

Namque percellunt hodie, Sancti Ambrosii antistitis eximii festivo die, animum Nostrum aurea profecto ipsius enuntiata de intimo doctrinae dominicae effectu: "Abstulit ergo bella usque ad fines terrae; quod factum esse non dubium est. Sed vide ne bella infirmitatis abstulerit quae sunt in corde titubantium ... Abstulit ergo Dominus bella quae movebat nobis nequitia spiritualis: et devicto diabolo pacem suam nobis reliquit. Arcum confregit de quo ignita adversarii iacula spargebantur: et scuta perfidiae combussit igni, ut scutum fidei inviolabile permaneret" (In Psalmum XLV Enarratio, n.22; PL XIV, 1145).

Tecum igitur, Venerabilis Frater, et cum unoquoque Conferentiae istius vestrae Episcopo Fratre communicare aperte volumus Nostros consolationis ac spei magnae sensus ex laetiore quidem rerum exspectatione, quae in terris iam sperantibus proponitur hominibus; gregibus aequabiliter vestris singillatim Christum Dominum una vobiscum praebere studemus ex Natalicia commemoratione servatorem hominum generis et lumen. Attamen nihilo minus apostolatum et laborem evangelicum illum, multo sane difficiliorem atque impeditiorem inter homines, inculcare enitimus, renovare et sacros apud ministros confirmare, quo videlicet corda ipsa humana ad veritatem et honestatem convertantur, ad recta iudicia et altiorem rerum aestimationem resipiscant, ad bona diutius mansura incitentur.

Haec vota sunt natalicia Nostra et fraterna simul ex animo deprompta consilia necnon in posterum Salutis Annum omina fausta, quae ut in actum denique tandem adducantur inter vos tibi, Conferentiae nempe Praesidi, et participibus eius universis Apostolicam amanter Benedictionem Nostram dilargimur communitatum vestrarum memores semper precando.

Ex Aedibus Vaticanis die VII mensis Decembris, Sancti Ambrosii sacro, anno MCMLXXXIX, Pontificatus Nostri duodecimo.

A handwritten signature in black ink, appearing to read "Joannes Paulus II". The signature is fluid and cursive, with "Joannes" and "Paulus" connected, and "II" written below "Paulus".